Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 717
Quelle:
Copyright:

et magis infra *per occultam gratiam uocaretur* pro *signaretur*.

XXV. *fol.* 141. p. 2. *Sermo fulgentij episcopi de eodem.* Initium: *Nostis fratres karissimi quod dies iste qui nobis in honore domini per singulos annos celebratur* &c. Extat edit. *Opp. Venet.* 1742. p. 253. f. ubi perperam sub initium: *Et quia Graecum probatur esse vocabulum*, (Epiphania) *multis est Latinis incognitum. Inde est quod* &c. Rectius Codex: *multisque Latinis incognitum inde est quod* &c.

CCXXVII. VI. E. 30.

Codex membraneus lat. Sec. 318 saltem XII. Folior. nunc 24. f. per duas columnas exaratus, Titulisque miniatis distinctus, manus, ut videtur, *Hispanae* e titulo paullo recentius *pag. ult.* adscripto: *Don Rodrigo por la gracia de dios Rey de castilla de Tholedo de leon de Galisia de seuilla de cordoua de Murçia de iaben et algarbe*, sequentia continet: I. *Incipit Liber De Decem Cordis S. Augustini.*

Quas tu si caperis discrimina mille ualebis.
Tempnere perpetua atque carere fame.
Augustinus adest bonus hic athleta famosus.
Denas qui cordas tangere rite quiuit.
Hinc tibi iohannes odas canit atticus ille.
Fuluo qui meritis. emicat ore sacris.

Hic interjectus est *Elenchus* Contentorum in *Cod.* quorum ultimum numeratur *Omelia sancti Jobannis* (Chrysostomi) *de cordis compunctione*, ad quam Distichon postremum adludit, quae vero deperiit. Dein concludit Poeta:

Exempla istorum fuerit quicumque secutus.
Hic possessor erit o paradise tui.

Et nunc Liber praedictus orditur: *Deus et dominus noster misericors et miserator* &c. ut T. V. *Opp.* edit. *Maur. Paris.* 1683. *col.* 48. ubi *Classis* I. *Sermo* IX. est, lectione tamen non raro variante; ita *c. 2.* nobis *fol.* 1. *p.* 2. malim cum nostro: *Clamemus et laudemus*, quam cum Editis: *Clamavimus et laudavimus* &c. Concluditur: *Erit ergo illud sabbatum sabbatorum. quod hic desideramus. ut ibi inueniamus.* Iterum, ut videtur, rectius, quam in Editis.

II. *fol.* 13. p. 2. *Item Sermo S. Augustini De Die Judicii.* Initium: *Audiuimus cum euangelium legeretur terribilem simul et desiderabilem uocem — Discedite a me maledicti* &c. Finis: *et ad celorum regnum feliciter peruenire. Prestante domino nostro ihesu christo qui* &c. Extat T. *cit. append. col.* 142. monentque Editores,

eum